

Rome, 2 novembre 1601.

Admodum illustris et Reverende Domine. Duas epistolas à D.V.
 eodem tempore accepi, unam cum inclusa gravissima querimonia D.
 Stanislai Wilde. Ego certe, ut intime compatiens tantis et tam in-
 justis calamitatibus D.V., ita fere consilio destituor, ut nesciam
 quid nos hic agere possimus. Scribo ad III^{um} Card. Dietrichstein,
 et ad ipsum Episcopum Vratislavensem, atque utrumque moneo, rogo
 et obsecro, ut causam vestram juvent atque ad exitum felicem quam
 citissime perducant. Nescio an aliquid profecero; dedi certe ope-
 ram ut proficerem. De diplomate pro pensione annua expediendo per
 viam secretam, tentabo quid possim. Facilius haec res impetrata
 fuisset, si ~~M~~ancius Apostolicus, qui istic residet, ad Summum Pon-
 tificem vel ad Card. S^{ti} Georgii scripsisset, et angustias D.V.
 testimonio suo comprobasset; multo enim magis de hac re ~~M~~uncio
 Apostolico crederetur, quam mihi, qui nihil scio nisi quod ex lite-
 ris D.V. cognosco. Dominus Deus noster gratia Spiritus sui conso-
 letur D.V. eique patientiae donum adaugeat. Datum Romae die 2 No-
 vembris 1601.

Per ill^s ac R^{ae} D.~~M~~ V. studiosissimus

D. Bonaventurae Hahn.

~~20~~ F.B. 5. Minute autogr.